CONVENTIO

INTER

REMPUBLICAM ITALICAM

ET

SANCTITATEM SUAM PIUM VII.

PRaeses Reipublicae Italicae Primus Gallicanae Reipublicae Consul, atque Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius VII in suos respectivos Plenipotentiarios nominarunt.

Praeses Reipublicae Italicae Primus Gallicanae Reipublicae Consul Civem Ferdinandum Marescalchi Consultorem Status, & Exterarum Relationum Administrum apud ipsum residentem plenis facultatibus munitum.

Sanctitas Sua, Eminentissimum D. Joannem Baptistam Caprara S. R. E. Tituli S. Honuphrii Praesbiterum Cardinalem, Archiepiscopum Mediolanensem, & Sanctitatis Suae & S. Sedis in Gallia de latere Legatum munitum facultatibus in bona, & debita forma;

Qui post sibi mutuo tradita respectivae Plenipotentiae instrumenta, de iis, quae sequuntur convenerunt.